

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
80 marmoreis, at Serrano tenuique Saleiio
gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est ?
Curritur ad uocem iucundam et carmen amicæ
Thebaidos, lætam cum fecit Statius urbem
promisitque diem : tanta dulcedine captos
85 adficit ille animos tantaque libidine uolgi
auditur. Sed cum fregit subsellia uersu
esurit, intactam Paridi nisi uendit Agauen.
Ille et militiæ multis largitus honorem
semenstri uatum digitos circumligat auro.
90 Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos
et Baream, tu nobilium magna atria curas ?
præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haut tamen inuideas uati quem pulpita pascunt.